



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 4. Ex necessaria paupertate voluntariam esse faciendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

Itaque isti à D. Bernardino vocantur *pauperes huius mundi*, de quibus dicitur: *Pauperes semper habetis vobiscum.* Hæc paupertas est simplex carentia diuitiarum; malis, & malè se in ea gerentibus mala; bona bonis ac patienter eam ferentibus. Aliqui enim, ob inopiam, se domi continent, aut in rus concedunt, vitant publicum, & sicut vespertilioes apud Æsopum, interdum videri nolunt. Præsertim autem nobiles, grauiùs sentiunt hanc calamitatem; putant enim eam sibi dedecori esse; neque stemmati suo conuenientem. Alias vestes, alium victum, aliam habitationem, aliam auctoritatem maiores habuerunt. Primi in curijs, primi in aulis, primi in conuiujs sederunt. Omnia hæc vel extinxit paupertas, vel eneruauit. Quare turbantur & fluctuant; quidam franguntur; quidam nunc in hanc, nunc in illam partem nutant; quidam ad sacram anchoram confugiunt, & spem suam in Deum figunt.

§. IV.

Ex necessaria paupertate voluntariam esse faciendam.

Quod ut faciant, ita eos D. Bernardinus compellat. *O pauper verecunde, vis sequi*

Ff 3

consi-

consilium meum, ultro paupertati occurre
 venientē lato animo patentibus valuis accipiens,
 atq; amplectere amplectens. Prima enim fron
 te rigida ac subtristis non immeritō viatori,
 atq; armato exaquata, eò quòd celer minaxq;
 sit aduentus illius. At cū in familiaritatem
 admissa fuerit, & minimè sumtuosa, & secura,
 ac facilis hospes erit. Crede mihi, aperi illi
 ocyus antequam vectem vi subita confringat,
 atq; ostijs vulsis à cardine vitrix introeat, ut
 resistantibus permolesta, sic cedentibus perincun
 da est. Mollius quidem diuitia subissent, sed
 paupertas tutius. Nulla opes sunt, quibus non
 sit anteponenda securitas. Profectò ut animo
 inopi ac deiecto nulla non deficiunt opes: sic diui
 ti atq; erecto nulla non sufficit paupertas. Nem
 pe ille alieno innititur, hic proprio fidit. Si pau
 pertatem patienter tuleris, solito eris humilior,
 expeditior, atque liberior. Vacui amant incedere,
 qui iter arduum agunt. Carebis solitis opi
 bus, simulq; solitis muribus, atque furibus, nec
 non & proternis seruis usq; quibus solent abun
 dare diuitia, fictis amicitijs, sequacibus ac tenu
 cibus parasitis, totoq; illo grege domestico acci
 dentium tibi, teq; rodentium, atque ridentium.
 Denique si amissas opes, cum amissis tedijs con
 feras, lucrum voces. Certè ut securitatē sileam
 humilior.

humilitatem, sobrietatem, requiem, modestiam, paupertatis comites, si nihil boni aliud illa secum afferret (quamquam etiam fallacium gregibus adulantium, & seruatorum tyrannide superbiorū liberet) abunde erat causa, ut non ferenda modo esset, sed optanda, immo etiam necessaria pauperies. Profecto, ut audacter testimonium perhibeam veritati, nihil inter homines paupertate melius, nihil odibilius. Sed vir sapiens facit de necessitate virtutem, ut ubi paupertatis necessitas urget, prudentia libera voluntatis acceptet: vel potius, quod melius est, amplectetur. Recole pauper quod *Prou. 17. c.* scriptum est. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio. Et *15. cap.* iterum *Solomon* ait: Melius est parum cum timore Dei, quam thesauri magni & insatiabiles.

§. V.

Diuitis & pauperis fabella è *S. Bernardino.*

Hæc sanctus ille pro solatio depauperatorum, aut pauperum. Quibus subiungit exemplum parallelum ei, quod paulo supra, è Luciano attuli. Est autem istud. Contiguus in ædibus habitabant duo, æquè peculio ac domicilio discrepantes, viri. Vnus in magnifico palatio, tamquam draco Hesper-

Ff 4

ridum